

ascultare cum protocollo eiusdem, et si inveniret in concordantia eum de verbo ad verbum scribere in suo quaterno, et ipso scripto se ambo subscribere sub autentico. ¶ Item concedere ad fenestram vicedominarie tantum cuilibet notario quaternum dicti notarii existentem in vicedominaria volenti autenticare aliquam scripturam de predicto quaterno, et nullo modo dictum quaternum extra vicedominariam dare; salvo quod de mandato dominii, si qui quaterni qui essent in vicedominaria communis essent necessarii alicui persone tempore alicuius sindicatus, tales quaternos unum vel plures producere debeant coram sindicis communis. Et si inveniret dictam scripturam sic autenticatam concordantem cum dicti notarii quaterno, eam vicedominare dum sibi fuerit presentata. // ¶ Item nullam avocationem vel procuracionem facere vel exercere toto tempore eorum offitii, salvo in propriis negociis, etiam pena XXV libr. par. ¶ Item non vicedominare aliquod instrumentum vel pactum quod sciverint esse contractum dolo vel fraude, neque ipsum acceptare et ea quam citius poterint dominio denunciare, etiam pena vigintiquinque libr. par. ¶ Etiam vicedominare omnia instrumenta etiam elapso anno, si per partes contentas in eisdem eis vel alteri eorum concorditer fuerint presentata. ¶ Item vicedominare quodlibet instrumentum vel preceptum debiti vel depositi, eis vel alteri eorum presentatum ¹⁾ per debitorem vel debitricem sive depositarium consentientem et vicedominari petentem, etiam absente creditore vel creditrice sive deponente, non obstante clausula supradicta qua dicitur quod non possit vicedominare aliquod instrumentum, nisi partes concorditer, et cetera. ¶ Item etiam vicedominare quodlibet instrumentum procuracionis, si solum modo per constituentem eis vel alteri eorum fuerit presentatum. ¶ Item personaliter interesse saltem unus eorum in placitis generalibus. ¶ Et notare singulariter in una eorum vacheta substantiam cuiuslibet sententie civilis condempnatorie vel absolutorie diem testes rem iudicatam vel absolutam in discretione eorum vel alterius, et cuiuscunque intromissionis bonorum, et accipere et petere a

¹⁾ presentantis.